Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 553

Quelle:
Copyright:



*menſe Septembri Sole exiſtente in libra conuenient omnes planete in ſimul. et ſol erit in cauda Draconis. quod ſignificat res mirabiles ac horrendas. fietque diluuium maximum. et altercatio ventorum per Saturnum et Martem. Creſcetque mare vltra* — patientiam fortaſſe Deſcriptoris; hic enim excuſſit calamum.

## CCXCV.

U. 511 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 223. formae paene quadrae 4. luculente et probe ſcriptus, rubricis diſtinctus, fuit olim *Conradi Celtis;* habet enim in Theca anteriore foris Iconiſmum Numi προτομην ejus exhibentis, quem deſcripſi in *Memorab. Biblioth. Garell.* p. 186. intus vero illius Μονογραμμα (II) αὐτογραφον addita interpretatione *Con. Cel. pro.* (tucii) *poete*, et Symbolo: παρεσω φρονησης. ubi obiter noto, *Joh. Cuſpinianum* noſtrum iisdem paene Siglis uſum fuiſſe, niſi quod geminum illud II ſuperne connexum formam potius M repraeſentat, nam *Johannem Cuſpinianum Philoſophum Medicum Poetam* volebat intelligi. Haec ideo monere viſum, quod utriusque literaria Κτηματα hodie per Bibliothecas et Literatorum Scrinia vagantur. Eodem praeterea Codicis loco charactere goth. grandi viſitur Weyh. quod Monaſterium *Weihenſtephanenſe* ad *Friſingam* interpretari quis poſſit, unde Celtes in ſuis illis excurſibus quocumque demum modo Librum tulerit. Sed jam ad rhombum. Continet ille *Aur. Prudentii Clem. Hiſpani* Sec. IV. Scriptoris *Carmina*, jureque merito conjungi poteſt vetuſtioribus illis exemplis, quae I. T. Congregationis Oratorii Rom. ut videtur, Presbyter in *Praef.* novae *Edit. Prudentii Parmae* 1788. 4. *cap.* IV. p. 52. enumerat. Praeit litera quadra miniata *Gennadii Maſſil. Caput* XIII. de *Prudentio* extritum usque ad verba: *Commentatur et in morem Grecorum Exameron* &c. ubi *Fabricii* editio legit: *Commentatus eſt autem;* certe minus recte, jam enim aliud opus *Prudentii Gennadius* nominaverat. Praeterea occurrit, *et in prevaricationem eius* pro *et prevaricationem*, item *ſuper quorundam nominibus* pro *ſub aliorum nominibus*, denique *ſpeciali tamen conditione* pro *intentione*, quae expendat Lector. Sequitur: *Incipit Praefacio ſequentis Operis. Per quinquennia iam decem* &c. Habemus igitur Librum *Hymnorum* Καθημερινων ſive *quotidianorum*, cujus Titulus: *Incipit Liber Ymnorum Aurelii Prudentii Clementis Nobiliſſimi Ac Facundiſſimi Poetae.* Decurrunt Hymni ordine, quo in Edit. *Parm.* de qua ſemper mihi ſermo eſt, ſed numero tantum X. in quo ab Editore diſſentire cogor; Hymni enim II. *Octavo Kal. Januarias*, et *in Epiphaniam*, cum annui ſint potius, quam καθημερινοι, rectius cum Codice noſtro poſt Librum ſequentem reponuntur. Jam X. *Hymni* noſtri rationem metrorum ſuorum, vel titulo praefixam, vel margini, manu